



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Emericvs C. 4. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

rius, uti ad aspectus Veneris molles,
ad verba mellea, & ardentia oscula
exhorrescet. *Ex Metaphr.*

S. EMERICVS C. 4. *Novembris.*

Pater EMERICO D. Stephanus fuit
Vngariæ Rex. Matrem in terris Gi-
selam, D. Henrici Imperatoris foro-
rem, in cælis MARIAM salutavit, cui
natum unicè semper pater commenda-
verat. A tantis parentibus minimè de-
gener EMERICVS, non dies modo,
sed quas juvenus somno aut volupta-
tibus, hoc est, somniis, dare amat no-
ctes, precibus pius vigil transcripsit,
non prius ab aurorâ deprehensus,
quàm omnia Vatis Iessæi carmina de-
currisset, & post singula intercalare
osculum terræ fixisset. Oculos habuit
tam puros, ut ipse animorum occulta
sensa perspiceret. Nam jussus à parente
salutem ferre viris DEO devotis, oscula
quidem in omnes amicitissima dispen-
savit, aliis tamen plura atq; aliis tulit,
non neminem etiam septies dissuavia-
tus. Causam deinde rogatus, oscula
sua meritis singulorum respondere af-
firmavit; qui plurima tulisset, eum
virginem ad id ætatis animum gestare,
mille etiam osculis dignum. Ipse cum
vocem audisset cælo allapsam, nihil præ
virginitate Superis arridere, quàm mox
DEO DEIque MATRI florem suum
dica-

dicavit, nec Sponsam prius admisit, quam suum & ipsa caelo despondisset. Et placuere ita hi Numini, ut abstinere jam non potuerit manum, sed ex his EMERICVM beatam morte decerptum in sua rosaria transtulerit. Eo enim ferri Eusebius Episcopus vidit. Invidetur quisquis adhuc cum vento, cum aestu, cum hyeme luctaris flos virgo. Marcescis, si te calum non carpit, & marcescentem manu scilicet VIRGO abjicit. Ex Surio.

SS. GALATION ET EPISTEME
MM. 5. Novembris.

Nvlli aquae flores caelo arrident, ut animi virginis lilia, maxime quae ex thalamo surgunt, hoc utique pulchriora, quod rariora. Vides hodie tamen haec in GALATIONE & EPISTEME, quibus castissimum thalamum virginitas stravit, verecundia ornavit, mors defendit. Et GALATIONEM quidem matri sterili, si Christo adhereret, spondit Anachoreta, firmavitque pactum in somnis visus in cruce Christus. Liberata utrinque fides, & filio hereditatem parens uterque Fidem, sponsam vero EPISTEMEN reliquit formam singulari & omnibus virtutibus dotatam. Haec caelesti ostento, nec uno, instructa cum virginum beatos Choros esset intuita, facile virginitatem